EXCERPTUM

Ex diplomate Friderici imperatoris, hujus nominis primi, in gratiam B. Amedei concesso.

(*Mémorial de Fribourg.* — Plantin mss. Dedit dominus Baro de Gingins.)

—

. . . . Eapropter, charissimo cancellario nostro Amedeo, Lausannensi episcopo, qui genere et nobilitate, nec non fidelitate, nobis astrictus agnoscitur, in colligendis, dispensandis et revocandis collatis, in confirmandis necessariis, in convocandis ad curiam ecclesiasticis personis atque baronibus, vices nostras committimus, considerata viri honestate et antiqua Ecclesiæ Lausannensi dignitate.

EPISTOLA NICOLAI

Cluniacensis primum, deinde Clarævallensis monachi, S. Bernardo a secretis,

AD B. AMEDEUM.

(Manrique, *Annal. Cisterc.*, ad an. 1144, t. I, p. 464.)

—

Patri suo, frater Nicolaus, se ipsum ad pedes. Multa esset præsumptio, si non multa esset dilectio, quod præsumo scribere vestræ sublimitati; affectus enim trahit me, qui nec legibus obtemperare, et cui reges imperare non possunt. Nescio enim quo pacto, ex quo vidi vos, dilectio vestra ipsis animæ meæ penetralibus largiter se infudit; nec fuit mora inter aspectum et affectum, quamvis affatum tardius habuissem. Si ergo fidenter scribo, ex hoc est, quia fideliter amo; quia si audax sum, non tamen mendax. Amor dominum nescit, agnoscit amicum, et in infulis, dignitatis nescius, dignatione dives, affectu potens, suasu efficax, perspicax puritate. Quid ergo, si ascendisti sursum, Domine mi, imo potius, dilecte mi? Etiam super pennas ventorum non subduceris affectu meo, et si ascendas ad cœlos, sequar te, quocunque ieris. Non enim amo pontificem, sed hominem, qui zelum legis cathedræ contulit, non a cathedra suscepit.

Quis ille autem vigor, quæ solertia spiritus, quæ saltu suæ subtilitatis obstantia quæque prærumpit, et quæ possit de singulis artibus, etiam cum singulis artificibus philosophari? Propterea supereminet illa mortalitatis tuæ liberalitas quæ juxta oratorem se præbet blandam pueris, juvenibus comem, gravem senibus, confortans omnes, omnibus se conformans, in sermone communis, in contubernio æqualis, in consiliis præcellens, et multum ambienda, quia minime ambitiosa. Vidi enim te sine superbia nobilem, sine invidia potentem, sine superstitione religiosum, sine jactantia litteratum, sine ineptia gravem, sine studio facetum, sine asperitate constantem, sine pluralitate communem. Illud admirans, quod eminenti scientiæ conscientiam habes superiorem. Talem te credit spiritus meus, talem te loquitur affectus meus, assidue mihi submurmurans spiritum tuæ suavitatis. Mitto tibi librum magistri Anselmi de Spiritu sancto, bene punctatum, nisi fallor, et emendatum. Ego, inquam, qui tuus sum, et tuus ero, quandiu fuero, amantissime Pater.

Digitized by Google